

incarnandi supremam potestatem regiam, sanctitatem, potestatem iudicium ferendi, angelorum adorationem *Heb. I. 6. & alia.*

## §. 7.

Dum vero dicimus Prophetam vidisse personam habitu Regis ornatam, non dubitamus secundam Trinitatis Personam apparuisse. Non quod cum Arianis v. g. cum Maximino statuamus, patrem prorsus ob naturam suam esse invisibilem, cui sententiæ & Eusebius favere videtur, sed quod Apostolus *Job. XII. 41.* affirmavit: *Esaiam hoc loco vidisse gloriam ejus (Filii DEI) & locutum esse de eo.* Quæ sua luce radiare videntur, si pronomen *δοξαν αυτου* ad Christum refertur. Hoc verò ut evidentius pateat respiciamus ad v. 36. ubi dixit Evangelista: Jesum abiisse & a Judæis se occultasse, v. 37. pergit Evangelista, licet Jesus tot signa ediderit, Judæos tamen in eum non credidisse v. 38. adducit Evangelista rationem ob quam non crediderint in eum, quia Esaias indurationem Judæorum prædixit, *Es. LIII.* porro v. 39. & 40. aliud ejusdem Esaiæ adducitur vaticinium de Judæorum induratione ob quam non crediderunt in Jesum, ex *Es. VI.* Huic vaticinio subjiciuntur v. 41, hæc Evangelistæ verba: hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam ejus & locutus est de eo. Ex quo perspicuum est Evangelistam dixisse: Esaiam in nostro vaticinio vidisse gloriam Christi & locutum esse de eo; ad Jesum enim referuntur omnia, quæ antecesserunt. De Jesu esse sermonem probant quoque consequentia, nam v. 42. refert Evangelista: multos ex primoribus credidisse in eum (Jesum) sed propter Pharisæos non esse confessos.

## § 8.

Hæc explicatio tam evidens est, ut etiam *Wolzogenium Comment. in Evang. Job.* in suas partes traxerit, ita enim ad allegata verba commentatur: *Potuisset aliquis cogitare, verba ista*  
ad